

ejus Liber V. est. *Tr. I. c. VII. de Metaphoris ab Homine ad DEUM translatis, quod genus' Ἀνθρώπου παθήσεις* vocant. Quibus accedunt Indicium Sacrorum Scriptores, *Flacius* in Clavi Scripturæ, *Tusfanus* Indice Biblico, *Ravanellus* Biblioth. Sacra, Titulis ad singula Membrorum Humanorum Nomina pertinentibus: Quorum vestigiis insistemus, insertis tamen monitis hinc inde oblatis, operam vero præcipue daturi, ut Sensum literalem sectemur, missis Allegoriis, quas veteres passim cum eo in hisce confundere cuilibet inspicienti facile patebit.

## V.

De Universis tamen ac singulis tenendum, quod *Eucherius* generaliter monet, postquam DEUM Omnipotentem, Invisibilem, Incorporeum, Immensum, Incircumscriptum, Inlocalem, Immutabilem demonstraverat: *Ubicunque autem, subjicit, S. Scriptura sparsim per Divinos Libros in DEO motus animæ seu humana membra describit, id est Caput, Capillos, Oculos, Palpebras, Aures & cætera Membra, sive motus Animæ, id est, iram, furorem, oblivionem, pœnitentiam, recordationem, & alia his similia, non carnaliter juxta historiam, ac recte intelligentibus scienda sunt, sicut à Judæis & plerisque hæreticis carnaliter sapientibus, qui DEUM corporeum atque localem opinantur, sed spiritualia omnia de eo intelligenda & confitenda sunt; Si quis DEO humana membra seu motus animæ more humano inesse credit, procul dubio Idola fabricat in corde suo. Dicit omnia de DEO Spiritualia intelligenda esse, vel potius spiritualiter, Deo nimirum convenienti modo, qui Spiritus perfectissimus est: Unde & notissimum apud Theologos axioma: Quæ de DEO dicuntur* *ἀνθρώπου παθήσεις*, à nobis intelligenda *θεο-*

B

θεο-